

celsi praetereunt austera poemata Ramnes:  
omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci,  
lectorem delectando pariterque monendo.

hic meret aera liber Sosiis, hic et mare transit  
et longum noto scriptori prorogat aevum. 345

sunt delicta tamen, quibus ignovisse velimus:  
nam neque chorda sonum reddit, quem vult manus et  
poscentique gravem persaepe remittit acutum, [mens,  
nec semper feriet, quodcumque minabitur, arcus. 350

verum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis  
offendar maculis, quas aut incuria fudit  
aut humana parum cavit natura. quid ergo est?

ut scriptor si peccat idem librarius usque,  
quamvis est monitus, venia caret, ut citharoedus 355  
ridetur, chorda qui semper oberrat eadem:

sic mihi, qui multum cessat, fit Choerilus ille,  
quem bis terve bonum cum risu miror; et idem  
indignor, quandoque bonus dormitat Homerus:

verum operi longo fas est obrepere somnum. 360

ut pictura poesis: erit quae, si proprius stes,  
te capiat magis, et quaedam, si longius abstes;  
haec amat obscurum, volet haec sub luce videri,  
iudicis argutum quae non formidat acumen;  
haec placuit semel, haec decies repetita placebit. 365